Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertatio Inauguralis Iuris Publici De Coexercitio, Sive Simultaneo Utriusque Romano-Catholicae Ac Evangelicae Religionis Exercitio Licito Ac Illicito

Schweder, Gabriel
Burgermeister von Deizisau, Gabriel Franz

Tubingae, 1727

VD18 11378891

Thesis XIV.

urn:nbn:de:bsz:31-130851

Visual Library

gula constituta, ita, ut contra observantiam dictorum annorum normativorum (ex quibus prior Annus, nempe 1618. attendendus in iis, qui ex capite Amnestiæ restituti, uti Comites Palatini Rheni, Instr. Pac. *Art. IV.* §. *6.* & Marchiones Baden-Durlacenses; d. Instr. Pac. *Art. IV.* §. *26.* Posterior autem Annus, scil. 1624. constitutus in gratiam eorum, qui ex capite Gravaminum restituti, *Art. V.* §. *2.*) nemo à quocunque ulla ratione aut via turbari debeat, turbati vero aut quocunque modo destituti sine ulla mora ac exceptione in eum, quo dictis Annis fuerunt, Statum plene restituantur. Intercedens autem Differentia inter Restitutionem, quæ fit *ex capite Amnestiæ*, & eam Restitutionem, quæ fit *ex capite Gravaminum*, diversusque quis sit hujus & illius effectus, latius explicatur ab Authore Meditationum ad Instrum. Pac. Westphal. *Spec. I. ad Art. III.* §. *1. pag. 27.* & *Spec. II. ad Art. V.* §. *2. pag. 206. seqq.*

Thesis XIV.

V. Coëxercitio aperte adversatur Instrumentum Pacis Westphal. *Art. V.* §. *26. ibi: Religionis Exercitium idem maneat, quod quovis in loco Anno 1624. obtinuit.* junct. §. *15. ibi: omnibus novationibus abolitis.* Per rerum naturam enim idem Status & idem Religionis Exercitium esse & manere non potest, ubi privative unum, & ubi simul utrumque principiis sibi invicem contrariis palam viget. Vid. Illustris Author des Europäischen Herolds *Part. I. pag. 883. seqq.* ubi præcipua Capita & Articulos Romano-Catholicæ, Lutheranæ & Reformatæ Religionis, & in quibus potissimum differant, recenset. Confer Hieron. Kromayeri *Scrutinium Religionum tum falsa-*

falsarum, tum unicè veræ &c. Disp. IX. XII. XIII. ac negari nequit, quod si alicubi una tantum obtineat Religio, ejusque solius ibi vigeat Exercitium, loci illius incolas feliciores omnino esse, longeque majori frui quiete, ac libertate gaudere posse, quam ubi novum simul alius Religionis introducatur Exercitium, diversitas enim sententiarum de Fidei Articulis animos divellit, excitat odia, ac pacatum Reipublicæ statum non mediocriter labefactat. Recess. Imp. *de Anno 1541. pr. de Anno 1544.* §. **damit aber** ꝛc. *78. de Anno 1548.* §. **Und nachdem Wir** ꝛc. *3. de Anno 1555.* §. *7. seqq.*

Thesis XV.

Neque his obstat, quod cuilibet Domino Territoriali ex communi per totum Imperium hactenus usitata Praxi vi Superioritatis territorialis in suis Ditionibus competat Jus Reformandi. Hoc enim Ipsi salvum est & manet, licet Exercitium ejus Transactione hac Publica, Pacis & tranquillitatis conservandæ, & persecutiones ac oppressiones subditorum vitandi causa, contra subditos suos Aug. Confessioni addictos, qui dictis Annis solitarium suæ Religionis Exercitium habuerunt, quoad effectum suspensum & limitatum sit, ut ipsis publicum vel privatum Religionis suæ Exercitium, quo Anno normativo seu Decretorio gavisi sunt, adimere nequeat; Perinde ut vero rerum suarum Domino salvum maneat dominium suum, licet ejus effectu, qui in libera de rebus suis disponendi & eas alienandi facultate consistit, destituatur. Notum enim est, multos rerum suarum Dominos salva dominii substantia destitui hac facultate, quibus vel Lege, vel à Judice, vel à